


36

01

A

6631





DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA
DE
MYOSITIDE ET NEVRITIDE,
PRÆSERTIM RHEVMATICA PER HISTORIAM
EGRÆ ILLUSTRATA. 25

QUAM
RECTORE UNIVERSITATIS MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO DUCE AC DOMINO
DOMINO
CAROLO
DUCE WIRTEMBERGIÆ ET TECCLÆ REGNANTE
REL. REL.

PRAESIDE
GUIL. GODOFREDO PLOUCQUET
PHILOS. ET MED. D. HUIUSQUE P. P. O.
PRO LICENTIA
PUBLICO ERUDITORUM EXAMINI SUBMITTET
DIE SEPT. MDCCXC.
CHRISTIANUS AMANDUS HENRICUS DOBEL
ROMMELSPACENSIS.
TUBINGÆ.
TYPIS REISSIANIS.



DIPLOMATICA MAGISTRALIS MEDICAE

ALYDORATIUM DE ...

...

...

D O M I N O

C A R O L O

DUCI WURTEMBERGAE ET TIURICAE

...

GOTTGODEFRIDUS OBERST

...

...

CHRISTIANUS AMANNUS HILBERSDORF

...

...

...





HISTORIA MORBI.

Mulier triginta circiter annorum, rustica, robusta, & apparen-
ter sana, post psyxin aliquam doloribus vagis, femora-
tibusque occupantibus, jam lenioribus jam iterum atrocius favien-
tibus, artus eos secundum longitudinem & fere ad tractum nervorum
legentibus, afficitur. Venæsectio ipsi administrata dolores hosce
tantum non mitigabat, ut eos potius acerbe exasperaret. Deinde
variis promiscuè & tumultuarie ipsi datis medicamentis tam in-
ternis quam externis utebatur, sed irritò plane eventu. Chroni-
cus jam factus dolor utpote post integrum annum emensum, ther-
mis ferinis, quas ipsa inibat, aliquod solatium experiebatur; ple-
naria autem restitutio nec his impetrabatur. Dolores subinde ite-
rum recrudescentes & Medicorum & Medicastrorum auxilia im-
plorare iterum suadebant. Cum autem nil opis ab hisce sensisset,
denique post biennium fere a primo insultu præeuntibus indicis
non dubiis bilis turgentis & saburræ gastricæ deventum est ad
emo-

emetica & laxantia, quibus ægra levabatur quidem, sed nec his in totum liberabatur. Postea & tartarus emeticus, in refracta dosi, decoctum Bardanæ, Gummi Guajacum cum sapone sine ulteriori effectu salutari propinabantur.

Denique gingivæ tumidæ cruorem facile fundentes, scorbuticam acrimoniam subesse, prodebant: Qua itaque cognita ad sic dicta antiscorbutica ventum est; Ex quibus præcipue Nasturtium cum extractis amaris nuptum tam diu optatum effectum etiam ratione dolorum tandem præstabat, ut ægra jam sese plenarie restitutam sentiat.

1003

COMMENTARIUS.

§. I.

Commentaturo de morbo, jam descripto, ante omnia Nosologica determinatio danda erit: Historiam propositam vel obiter iustranti dubium nullum supererit, agi hic de eo, quod vulgo Rheumatismus audit. Hoc autem nomen fere æque latam significationem admittit, ac illud Catarrhi, cum æque a verbo *ῥέω* derivetur, perinde ac Rhevma, Catarrhevma, quibus denominationibus ad erroneam hypothesin Hipocraticam passiones insigniebantur, quarum materies à capite in alias partes defluens, easque afficiens, irritans, supponebatur. Ita Hipocrates *) septem à capite fluxiones habet: *ῥέον δε ἀπο της κεφαλῆς ἑπτα, ὁ μὲν κατα τὰς ῥίνας. ὁ δε κατα τὰ ὄφθα. ὁ δε κατα τὰς ὀφθαλμοῖσιν. ἔπειθ' εἰς τὸν κίθαρὸν ῥυή ὑπο ψυχρῆς χολῆς γίνεται — ὅταν δε εἰς τὸν μυελὸν ῥέον γενῆται, φθίσις ἀλλήν γίνεται. ὅταν δε ὀπίσθεν εἰς τὰς σπονδυλὰς, καὶ εἰς τὰς σαρκὰς ῥυή ὑδρωψ γίνεται. — ἢν δε ὀλιγὸν ῥέουσι ἰχθυὰ καὶ κέδματα ἐποίησεν, ἔπειθ' ῥέον παύσεται.*

Per modum rheumatismi peripnevmoniam gignit, putat Cælius, vel potius Soranus. **)

Abs catarrhi nomine veteribus jugiter & indiscriminatim usurpato, rheumatismum primus folicite distinguit Ballonius ***) Catarr-

*) Περὶ τοπων τῶν κατα ἄνδραπον. Ed. Foesl. p. 412.

**) Acut. Morb. L. II. cap. 27.

***) Consil. L. III. nro. 67. Definit. Med. Tit. *ῥευματικῆ διαθεσῆς.* & L. de

tarrhum externum vocavit Schenck. *) Ejus ergo accuratori adhuc opus erit determinatione, quæ ex pensitatis omnibus ejus phænomenis deducenda erit.

§. II.

Duæ sunt ejus facies, quas male ut distinctas species vulgo considerant, nempe acuta vel brevis, & Chronica: Quamquam & hæ non usque limitibus adeo strictis a se invicem distant, ut semper à se invicem distingui possint; Etenim nec febris eos limites constituit, cum etiam chronicam faciem comitari, & vice versa ab acuta abesse possit.

§. III.

Solet tamen, quem interim acutum rheumatismum nominem, prævio plerumque horrore, doloribus magis minusve intensis hanc illamve partem corporis humani invadere; Nulla erit pars sensibilis, quam hostis hic aggredi non valeat, vel soleat, videtur tamen præ aliis systema musculare ei expositum esse: Musculi dolore prehensi simul adynamiam aliquam patiuntur, cum gradu dolo-

L. de Rheumatismo & Plevritide dorsali: ubi p. m. 322: In hoc affectu totius corporis, maximeque externi est dolor *ὀστέοποιος*, membrorum, artuum & articularum molestus sensus cum calore, ac si arthritis universalis esset. Sic fit in habitum corporis *περιβολή, ἐκκρίσις, περιφορὰ, συντηξίς, μεταβάλλυσις, ἀπορροή, ῥευματισμοὶ ἀπο τὰ ῥέειν*, quia humor in habitum fluit, & fluendo irrigat. —

*) Obf. Med. L. III. de venis obf. 9. & L. I. de catarrho obf. 1.

doloris haud semper in directa ratione positam. Dein morbus amat quoque membranas quascunque, easque pererrat. Iam visibilis inflammatio, tumor, aucta secretio cum eo juncta sunt, modo non.

§. IV.

Dolor ipse diversissimus est, & ratione modificationis, ut ab ægris jam scindens, jam mordax, jam urens, osteocopus &c. dicatur, & gradus, cum pro diversitate subjecti, partisque affectæ, modo lenis sit, modo ad summam vehementiam evehatur, ut exinde convulsiones, parancæ, lipothymix sequantur. Differt quoque ratione extensionis, prout majorem minoremve plagam occupat, ratione perpetuitatis, dum is, qui membranas habet, jugiter sævire solet, musculos autem occupans, plerumque, etfi non semper, in quiescentibus silet, ad omnem vero motum exasperatur; porro ratione patientiæ ad tactum: In summo gradu constitutus dolor tactum ægerrime fert, minor autem, præsertim in musculis residens ab eo non augetur, quicquid Sam. Gottl. Vogel *) asserto Stærkii, de interna ossium substantia per rheumatismum occupata **) adductus contra dicat: Ratione constantiæ, cum modo unì parti jugiter infixus hæret, modo in alias atque alias partes & quidem sæpe celerrime & præter omnem spem vagatur: Solatorum, dum hic calore, alter frigore, hic lenibus frictionibus, alter compressione levatur. Denique ratione durationis, cum jam paucarum horarum sit, jam in chronicum abeat, & per menses annosque duret.

§. V.

*) Handbuch II. p. 43.

**) Ann. Med. II. p. 124.

§. V.

Magnus morbi gradus febrem comitem habet, cum eodem pari fere passu procedentem, & sanguis vena eductus crusta inflammatoria tectus esse solet.

§. VI.

Eventus morbi multiplex est, per varias circumstantias modo sic, modo aliter determinatus, cum & species morbi, & pars affecta, & æger ipse, & anni constitutio, geniusque epidemicus, nec minus externæ variæ conditiones, diæta ac medicandi ratio plurimum eo faciant.

Ad felices exitus pertinet solutio per transpirationem, sudorem, per urinam criticam, per alvum, salivationem, rarius diarrhœam, dysenteriam, *) hæmorrhagias varias, exanthemata multiformia, tumores serosos, lymphaticos, œdemata, pelioma, vel & per simplicem lysin.

Minus fauste & quandoque letaliter **) rheumatismus abit in supurationem, quæ tamen rarissime accidit ***) in acampsiam, ****) sive contracturam, vel & ancylosin *****) metastatice fertur ad encephalon, unde

*) Grant von Fiebern. &c. p. 142.

**) Act. N. C. Vol. VI. obs. 110. Vogel. lc. p. 67.

***) Morgagni De sed. & causis morb. Ep. LVII. art. 20. Alia testimonia collegit. Cl. Mezler in Diss. de rheumatismo. p. 14.

****) Sydenham Opp. sect. VI. cap. 5. Boëing, Diss. de differentia rheumatismi à morbis congeneribus. Duisb. 1763. p. 32. de Oberkamp Pr. Quænam sit differentia inter rheumatismum & arthritidem. Vogel. lc. van Swieten ad §. 1492.

*****) Boërhaave Aphorism. §. 1492.

~~183~~

unde Phlegmasiæ, cephalalgia, comata, paranoëa, apoplexia; efficit quoque, prout in hanc illamve partem fertur, Trismum, paralyfin, ophthalmias, amblyopias, typhlofes, hydrophthalmiam, *) dacryrrhœam, otalgiam, cophofin, dyscatabrofin, tuffes, pnevmonitidem, dyspnœam, phthifin, hydrothoracem **) aliosque hydropes, palmum, alysmum, emefiam, gastritidem & enteritidem, lygmum, diarrhœas, dysuriam & ischuriam, hypochondriafin, splanchnemphraxes, atrophiam, tabem, steatomata, farcomata, farcocelen, herpetem, & quid non? ut nullum fere fit morbi genus, quod non unam alteramve fui speciem sive protopathice, sive devteropathice rhevmaticam exhibeat.

Nec tamen vice versa decet, omnes dolores generi rhevmatico subordinare: Ita Sauvagefi Rhevmatismus dorfalis, & fugax huc non rite quadrare videntur.

§. VII.

Susplicari licet, esse inter tot observatores forte aliquos, qui rhevmaticæ indoli nimis tribuentes alias cauffas præterviderint; præcipuè ii, qui circa differentiam inter arthritidem & rhevmatismum adeo solliciti sunt, sæpius hos duos morbos inter se confufos videbunt:

Et certe multi in suis descriptionibus arthritica symptomata rhev-

*) Stoll. R. M. III. p. 13. (quem ipsum Apoplexia rhevmatica é vivis eripuisse videtur)

**) ibid. p. 133.

rhevmaticis immiscerent, quod & ipse Vogel *) haud satis caute evitavit, etsi differentiae illi adtipulans, ejusque characteres egregie sistens. **)

Nos hanc differentiam inter arthritidem & rhevmatismum opinamur quidem obtinere, verum tamen sic, ut detur species arthritidis rhevmatica, & rhevmatismi species arthritica, vel, si aliis verbis uti velis, datur arthritidis, cujus materia eadem ipsa est, quae rhevmatismi, sedes modo diversa, unde sequitur, in hac specie, (nam sine constitutione specierum in morbis nil bene determinati afferri potest) differentiam illam exulare, dari vero contra arthritidis species alias, cum rhevmatismo nil commune habentes; & vicissim rhevmatismi speciem posse systema musculare, vel membranas obsidere, cujus materia sit a consueta rhevmatica diversa, & potius ex arthritidis specie aliquid sibi adsciverit: Unde & transitus rhevmatismi in arthritidem perspicitur.

§. VIII.

Anatome practica porro docuit, rhevmatismis detentos, & cum, vel ex illis ipsis demortuos in partibus affectis exhibuisse colluviam ferosam, effusa gelatinosa, tam ad musculos, quam in visceribus.

§. IX.

Descriptionem & nominalem & genericam commiscuit Stahl ***) , quam citatione dignam existimo: „Sit itaque utique *Rhevmatis* nomine,

*) lc. **) ib. p. 83.

***) Diff. de rhevmatismo. §. 14. Hal. 1707.

mine, veteribus usitato etiam hodiernum noscendus affectus, *mobilis* talis, & tanquam *invasione* quadam & velut *inundatione*, regionibus corporis aut partibus quibusdam eveniens, qui *dolorum* acriorum sensum illis incutiat, schemate & numero plurium, in genere vero *ardoris*, anxie *inquietudinis*, *subtilioris* atque *diffusioris inflammationis*, immo etiam alibi *effusionis* alicujus *fluidæ materiae*, alibi ad minimum ab infarctu ejus atque restagnatione coorientis *tumoris*, & tum ab hoc ipso, tum à micationibus parvis *spasticis* concurrentibus, *rigoris*, & movendi impotentia.

Hæc etsi plenarie rem non exhauriant, multum tamen lucis ex iis hauriri potest.

§. X.

Quodsi vulgatissimam occasionem ad rheumatismum adhuc in computum trahimus, nimirum *psyxin*, propius ad perspicendam hujus morbi sedem, materiem & indolem ducemur.

Sedes morbi, prout supra §. III. annotatum est, diversa quidem esse solet: Videntur tam muscoli, scilicet tam ipsæ musculares fibræ, quam interposita cellulosa, perrepentes nervuli cum suis vaginis, jam periosteum, jam vagina tendinum & bursa mucosæ pati: Jam vero membranæ affectæ esse videntur, & præcipue, quæ nervos majores investiunt, vagina membranacea, unde suo jure Cotunni *) eam proposuit.

Nec male Avicenna **) in tunicis membrorum & musculorum,

B 2

&

*) De ischiade nervosa

**) L. III. Fen. I. Tract. 2. cap. 7.

& villis, & sub membranis, & super ossa aut in circuitu musculorum mali sedem figi contendit. An & ex sententia Haveri *) mucum interarticularem acrem factum accusare licet? In membranis nervorum etiam nostro in casu ex parte hæsisse materiem morbi, extractu, quem dolores servabant, haud obscure divinari poterat. Quam late ergo ditio rheumatismi pateat, ex his ipsi elucefcit.

§. XI.

Materiam morbi alicujus generice modo indicare, vani laboris est: — Post determinatas singulas species sua cuique erit; cum vero earum ad bonas Nosologicas regulas constitutio & appellatio ipsam quoque materiem secum involvat, propius dilucidandis singulis istis materiebus impræsentiarum vacare non poterimus, solius speciei primariæ, & si placet, idiataræ, sive psycicæ materiem propius investigaturi.

Ad efficiendum rheumatismum psycicum concurrere videntur una ex parte susceptibilitas humorum & irritabilitas, sensibilitasque solidorum, ex altera vero Aëris qualitas: Ea

Quatenus frigidior **) est corpore, vel parte ejus, quæ pristinam passuram est,

- a) Expansa solida physice stringet, negotiumque liberæ transpirationis vel sudoris impedit.
- b) Particulas igneas liberas in se suscipiet, & calefacto corpori detrahet, & sic fluori liquidorum forte aliquid demet.

c)

*) Osteol. nov. p. 264.

**) Eodem modo & ab aliis corporibus actu frigidis psyxis oriri potest.

- c) An & acre frigorificum, quicquid sit, five per resorbens systema vasorum lymphæ admiscet, five alio modo penetrans humores inquinat?
- d) Per spasticam stricturam, primum cuti, dein tam per se, quam per consensum ulterius, & in intimas partes propagatam, & exinde oriundam singularem vasculorum minimorum oscillationem, stricturam, motum perturbatum, ipsi humorum mixtioni aliquam inferet alterationem.

Ex his omnibus turbatio mixtionis in humoribus exorietur, cum libero & pacato transitu per vasa pertinentia non amplius bene concordans: Quodsi simul peregrinum admixtum assumas, habebis diathesin, quam inflammatoriam nuncupare omnino poteris: Dein ipsa pŷxis eamque secutus horror vel rigor, five, quod eodem redit, spasmus cutaneus irritantem materiem per modum congestionis ad hanc illamve partem, forte antea jam debiliorem, sensibiliorem, alteratam, agram, vel ex ratione subiecti totius huc illucve determinabit, & sic rhevmatica inflammatio formabitur.

Inter hujusmodi inflammationem, & eam, quæ aliàs obtinet, quæ magis sanguinea est, realis differentia obtinere videtur, quod illa, etiam ex mente plerorumque Pathologorum, sit magis ferosa *) vel lymphatica, an ideo, quod magis systema vasorum lymphaticorum, vel minoris generis occupat, vel quod magis fe-

B 3

rosa

*) Vogel. lc. p. 78.

rosa sanguinis pars materiem ejus largiatur, & iritantium acrimoniarum fomitem exhibeat:

Ex rhevmatismorum inconstantia, &, ut Stahlus *) ait, ambulatoria agilitate apparet, materiam ejus per se valde mobilem esse, & facillime aut ex corpore iterum eliminari, aut ex parte in partem transferri. Volatilem putat Moellenbroccius **) Verumtamen major gradus morbi, major extensio, & profundior impectio decursum morbi aliter determinabit, nimirum, prout inter reliquarum inflammationum exitus etiam is solennis est, ut pituita inflammatoria vel & serosi quid ex locis affectis transfudet, & tam in illa ipsa quam in vicina deponatur; ita hoc ipsum in rhevmatismis fieri posse, non dubitamus.

Prius inspissatam, acrem viscidam serosam colluviem assument Pathologi antecessores, ut Sebiz, Riverius, Carolus Piso, Sylvius, Burnet, quam in quibusdam speciebus obtinere non negamus. Ortlorius ***) causam proximam modo in certis quibusdam heterogeneitatibus ex sanguine evolutis, &, quandoque critique ad externas partes depositis, modo in ipsa lympha, sive sero in iis stagnante & praternaturaliter constituto ponit, nec male.

Et certe sectiones §. VII. id abunde demonstrant. Simul hoc factum, rhevmatismus evasit chronicus, nec difficile est perspectu, hunc

*) Ic. §. 33

**) De variis. cap. 3.

***) Diff. de rhevmatismo. Lips. 1696. §. 15.

hunc statum medelam ægre admittere, & ex eo fonticas illas fe-
quelas, quæ pro partis affectæ natura & functione variæ exinde
resultant, deduci & intelligi posse.

Statuit quidem Cullen, *) in rheumatismo chronico obtinere
atoniam vasorum, fibrarumque muscularium, cum acampsa jun-
ctam; hanc sine intervenit materiæ depositæ locum habere posse,
non penitus negabimus, verum in longe pferisque casibus prio-
rem causam agnosci debere, persuasi sumus.

Deinde probabile est, integram humorum crasin sensim sen-
simque rheumaticam diathesin adsciscere, unde creber, & quan-
doque sine manifesta occasione accidens reditus, nec non ejus uni-
versalitas, & in quascunque partes obtinens dominatio cum suis ef-
fectibus perspiciantur.

§. XII.

Ex his patet, rheumatismo locum inter phlegmasas rite af-
signari, quorsum etiam retulit Boerhaave **) & van Swieten. ***) &
pro re nata esse modo Myositidem, modo Nevritidem. In pecu-
liares membranas, organa & viscera depositus iterum alia atque
alia nanciscitur nomina, ut v. c. pleuritis rheumatica, ophthalmia
rheumatica &c.: recte audiant.

Quod differentiam illam inter rheumatismum acutum & chro-
nicum, fere ab omnibus pro specifica adoptatam attinet, nos eam
pro

*) Anfangsgründe der Arzneiwiss. I. §. 437.

**) Aphor. de cog. & cur. morb. §. 1493.

***) Comment. ad eundem.

pro tali non agnoscimus, sed pro diversis modo faciebus declaramus; nec obstat, esse aliquas species, quæ per suam naturam chronicæ, alias, quæ acutæ sunt, cum aliæ iterum se nobis offerant, quæ jam acutæ, jam chronicæ sunt, & cum acutus quisvis in chronicum transire possit, §. XI. Mutatus tum quidem est status internus hujus phlegmæ, quin & diversam poscit therapiam, verum ipsa indoles, origo, admistarum forte acrimoniarum natura tamen eadem manent; Quodsi hanc differentiam ut specificam urgere velis, diversitate status interni motus, necesse est, ut singulas fere species iterum subdividas in acutam & chronicam: Verum sufficit, in generali tractatione vel ad primam convenientem speciem myositidis vel rhevmatismi id monitum semel dedisse, &, quid therapevtice agendum tum sit, indicasse.

§. XIII.

Priusquam ergo vel primas lineas Therapiæ ducere licet, necesse est, ut diversæ rhevmatismi species constituentur:

Sauvages id genus dispergit & proponit ut Rhevmatismum, Lumbaginem, Ischiadem, Plevrodynem, &c. Sagar utitur verbo myositidis pro designando rhevmatismo acuto, verum genus non plenarie exhaustit. Cullen species Sauvagesii, confuso, ut solet, agmine in idiopathicum & symptomaticum manipulum cogit.

Si integrum Myositidis genus, quocum Nevritis fere per omnia convenit, exhaustire velis, Species erunt:

A) Blastica, ex violentiis mechanicis oriunda, ut ex vulnere, contusione, &c: quæ chirurgicam maxime opem exposcit.

§. XIV.

§. XIV.

B) Camatodes, ex nimio labore, nisu, defatigatione: Hanc speciem Stahl *) agnoscere videtur, [& Sauvagesii Rheumatismus equinus huc certe trahendus est, cum miseri equi, abs animosis juvenibus velocissimo & longo cursu agitati, altero die artus vix ac ne vix quidem movere possunt. (Reh. reiten) Accedit quidem plerumque ptyxis ex vento, (Wind-Rehe) vel ex gelida, per quam calefacto corpore aguntur, (Wasser-Rehe)] Concurrunt vasa expansa, cum fibrarum ipsarum, nimis agitarum, dolore.

Quies, regimen diaphoreticum, subinde antiphlogistica, & musculis maxime laborantibus inunctum oleum pingue, camphoratum, hic indicantur.

§. XV.

C) Orgastica. Convenit quodammodo cum camatode, & procedit ab orgasmo, exastuatione quavis, tanta, ut sanguis vasa musculos perreptantia nimium expandat, forte in minoris generis subinde transeat, & sic phlegmasiam aliquam inducat: Hinc & Sydenham monuit, **) largiori victu, spirituosius utentes, aetate florentes frequentius ea corripit.

§. XVI.

D) Epischetica. Non solum cruentarum excretionum, ut menstruorum, hæmorrhoidum, epistaxeos suppressio, sed & artificialium,

*) lc. §. 40.

**) De rheumatismo Opp. p. 344. 348.

facialium, venæsectionis, scarificationum consuetarum neglectus in dispositis, & concurrentibus levibus causis determinantibus, pertinaces congestiones ad systema musculare, ipsamque myositidem producere potest.

In his anamnestice cognitis præter methodum antiphlogisticam generalem eo respicere convenit, ut suppressæ excretiones suis modis restituantur.

§. XVII.

E) Spastica: Quæmadmodum spasmo pertinaci prehensæ fibræ musculares dolorem, qui myositidem mentitur, exhibere possunt, quorsum referri debere puto, quem Sauvages ex Sydenhamo citat, Rheumatismum hystericum, ita facile concipitur, spasmos, undecunque demum oriundos phlegmasiam aliquam veram producere posse.

Cum illi etiam post formatum morbum agere pergant, magna pars Therapiæ in illis sedandis posita erit.

§. XVIII.

F) Rheumatica. Quod in generalioribus de hac myositidis specie disertum fuit, hæc repetita sunt. Cum vero hæc, quam & uno nomine Rheumatismum appellare possumus, non semper unius ejusdemque indolis sit, eam iterum in subspecies dividere debemus, & quidem in

1) Physicam, seu ex refrigerio varie capto oriundam. Frequentissima hæc omnium est, quotidianæ observationis &

a tot

a tot auctoribus descripta, ut cumulum eorum proferre supervacaneum putemus. Singularem occasionem saepe recurrentis hujus speciei observavit Bloch, *) nempe spondam ad murum proxime collocatam, qua remora rheumatismi reditus cessavit.

In primis initiis & in gradu leviori simplex regimen diapnoicum quandoque ei tollendae sufficit: In graviori casu, majori apparatu antiphlogistico, venesectione **) & similibus opus est, cum ea cautela, ne heroice nimis pulsus hostis locum deferat, & forte ad interiora vegetur, sed potius ut media via, qua tutissime itur, ineatur, & materia, si quidem in loco innocuo hareat, ibidem deserveat; Attamen ad liberandam sedem nec topica remedia negligi debent; quae primum emolliendo, pacando, urgentem dolorem demulceant, simulque strictas fibras relaxando, resolutioni, resorptioni, dissipationi ansam dent. Eo collimant Balnea, ***) universalialia, particularia, aquea, vaporosa, ammochosia, ****) fomenta, cataplasmata, inunctiones, & quam Veteres teste Caelio Aureliano, aliis in inflammationibus adeo commendarunt, blanda articulorum defricatio, †) quae cum sic dictis manipulationibus magneticis convenit, per quas animalis electricitatem ex homine in hominem transire, aliqui contendunt.

C 2

Dein

*) Med. Bemerk. p. 182.

**) Sydenham Opp. Ed. Lips. p. 347. eam usque ad quartam vicem repetendam vult.

***) Chesneau L. IV. cap. 3. obs. 4.

****) Sauvages ad speciem: Rheumatismus vulgaris. Fontana osservazioni.

†) Acut. Morb. L. II. cap. 18.

Desir, si hæc sive in tantum sive in totum forent irrita, moventia, resolutentia irritantia adhiberi debent; Huc faciunt: Motus membri affecti ipsius, etsi dolorificus, ejus subactio, equitatio, applicata acria, rubefacientia, vesicatoria, aliaque penetrantia, volatilia, aromatica, diversis formis applicata, tela, vernice oleoso obducta, (Wachstuch) quæ viridis, & glabra sit, Frigus actuale quoque in hærentem materiem loco movisse visum est: Quorsum etiam Geochosiam & Duciam referimus. Potens quoque etiam est vis electrica *) nec non magnetica, **) quam speciatim ad rheumatismorum diversionem commendavit Theophrastus Paracelsus. ***)

In plane pertinacibus, chronicis topice acribus insistitur, quin & unctiones celebrantur, foniculi applicantur, & pariter interne commoventia, irritantia adhibentur, quorum pleraque simul sudorifera sunt, ut:

Rhododendrum chrysanthum, Camphora, Aconitum, Guajacum, Solanum Dulcamara, ****) Piper cayennense. *****)

Pulcis

*) Med. Comment. v. Edinburgh. VIII. B. II. p. 23. Brydone in philos. Transf. v. Leske Aus. Abh. V. B. p. 76. omnesque scriptores de re electrica Medica.

***) Weber ad Tissot von den Nerven, und ihren Krankheiten. III. B. 332. vom Magneten p. 1020.

****) Carrere p. 13. Piquot. v. Aus. Abh. f. pr. Aerzte. II. B. IV. St. p. 167. Vieusseux in Bald. N. Mag. III. B. p. 2.

*****) Adair in med. Comment. v. Edinb. IX. B. I. p. 19.

Nec non Pulvis Doweri, *) Arnica, **) Sulphur, Mercurius, ***) Antimonium, eorumque præparata, Sales volatiles, Sinapi, Rob sambuci, ****) Thuja occidentalis. †)

Quæ vero omnia & constanter & diu in usum vocanda sunt, si auxilium verum ab iis expectare volumus, ne tum quidem semper imperandum,

Quum mala per longas invalere moras.

Scilicet cum ipsis fibris muscularibus, vel potius tela cellulosa, eas intercedente §. II. materies rheumatica conferruminari, & exallaxis his partibus induci potest.

§. XIX.

Secunda subspecies rheumaticæ est

2) Ichidrotica, a priori quidem non multum abludens, tamen eatenus differens, quod ex suppressione sudorum particularium, qui ut plurimum foetidi sunt, majori jure acre quoddam per metastasin ad alias partes delatum supponi possit: Legimus letalem rheumatismum ex retropulso sudore pedum. ††)

His in casibus sudorum suppressorum restitutioni potissimum incumbendum erit.

3)

*) Clark Beobachtungen &c. p. 216.

**) Act. Med. Berol. Dec. I. Vol. I. p. 52.

***) Clark v. med. Comment. v. Edinb. II. B. I. p. 9. 217. Hamilton ib. IX. B. I. p. 9. etiam externe.

****) Quarin Meth. med. Inflamm.

†) Rudolph in Bald. N. Mag. VIII. B. p. 235.

††) Act. N. C. Vol. VI. obs. 110.

§. XX.

- 3) Helcoxerotica. Vogel *) accusat quoque siccationem veterum ulcerum, & nos in Matrona septuagenaria pertinacissimum, denique per acamprias, paralyfes, & apoplexiam letiferum rheumatismum vidimus, cujus, si non unica, certe concurrens causa erat siccatum ulcus pedum.

Quamquam referatio clausi ulceris omnino indicatur, tamen reditus materiae rheumaticae ad pristinum locum non semper adeo pressio pede insequitur.

§. XXI.

- 4) Exanthemifchetica. Vogel **) pariter repulsam pforam aliaque exanthemata, recenset. Et Sauvages habet Rheumatismum miliarem, ut itaque rheumatica myositis acrem exanthematicam materiem pro causa habere possit.

Anamnesis hanc speciem prodit, sanandam tam revocatione exanthematis suppressi, quam iis, quibus hoc alias debellari solet.

§. XXII.

- 5) Cerchnasmica. Seu Sauvagesii Rheumatismus miliaris: Nominis hoc digna, sive praexistens materia cerchnasmica rheumatismum causetur, sive quod hic anthemate isto critice solvatur:

Epi-

*) lc. p. 81.

**) lc. p. 80.

Epidemice regnans hæc species diaphoreticam methodum indigitare apud individua posset.

§. XXIII.

6) Pyretica. *) Pro diversis februm speciebus modo hæc, modo illa materies pyretica, metastatice huc illuc delata hanc speciem efficit.

Pro re nata revellentia, alterantia, roborantia indicabuntur.

§. XXIV.

7) Dysenterica. Ex suppressa nimirum dysenteria biliosa, vel alia, postquam materia excrementitia in cavum intestinorum deposita, nec tamen evacuata fuerant, pertinacissimi rheumatismi oboriri solent, **) quibus & venæsectiones, & laxantia antiphlogistica cum fructu opponuntur.

§. XXV.

8) Scorbutica. ***) Mentionem ejus faciunt, qui de scorbuto scripserunt, quorum silvam allegare nolo. Concurrentia scorbuti signa eam manifestant, hujusque Therapia ipsi applicatur.

Noster casus efficaciam hujus medelæ satis superque demonstrat, similiaque testimonia apud scriptores de scorbuto, alibi exstant. ****)

§. XXVI.

*) Sauvages, Rheumatismus febricofus. Stoll Rat. Med. P. I. p. 21.

**) Stoll. Rat. Med. P. I. p. 21.

***) Sauvages Rheumatismus scorbuticus.

****) Sterck. Annus Med. II. p. 121. 126. 130.

§. XXVI.

9) Putrida. Stoll *) nonnunquam cum febre rheumatica mox initio putridam subnasci, ait, hancque speciem putridam nuncupare licebit, etsi hoc respectu magis complicatio, quam verus nexus causalis, & indolis determinatio subesse videatur. Censemus autem, quemadmodum scorbuticus rheumatismus agnoscitur, ita & putridum existere posse, ut nempe putrida humorum dyscrasia, ex concurrentibus symptomatibus æstima-
 manda naturam rheumatismi efficiat, cui quoque antisepticis occurrendum erit.

§. XXVII.

10) Syphilitica. Vix datur morbus, cui syphiliticum virus suam maculam inurere, ejusque indolem eatenus immutare non possit: Ita & rheumatismi leguntur syphilitici **), non nisi circum-
 spectè penstatis & antecedentibus & concomitantibus circum-
 stantibus judicandi, methodoque antisyphiliticæ, communi pruden-
 ter junctæ cessuri.

§. XXVIII.

11) Carcinomatosa. Hujus census videtur esse singularis illa Profopodynia periodica, quam Fothergill ***) recenset, nec non Stoll ****) observationes rheumatismi carcinomatosi habet.

Reli-

*) Rat. Med. P. I. p. 414.

***) Murray Diss. Nonnulla circa methodum luis vener. curandæ &c. Upsal. 1777. Stoll. R. M. P. III. p. 435. V. p. 415. sic & plurimi scrip-
 tores de lue venerea.

****) Sæmtliche Schriften II. B. p. 164.

*****) Rat. Med. P. V. p. 415.

Reliqua carcinomatis signa hujus speciei suspicionem movebunt, rectamque, si unquam datur, medicandi rationem indicabunt.

§. XXIX.

- 12) Scrophulosa. Ita appellatur singularis illa Lymphæ dyscrasia vel, si mavis, Systematis lymphatici cachexia, qua ad stases, & subinde ad inflammationes glandularum lymphaticarum prona, aliisque exallaxibus per totum corpus producendis apta est, an melius Lymphopachytis, an Lymphemphraxis appellanda? Stoll *) sub titulo rheumatismi cancrofi manifesti quoque scrophulosam hanc speciem memorat, nec generis ejus obscura est.

Quæ ad istam labem efficacia deprehenduntur medicamenta, aliaque auxilia, etiam huic opponenda erunt.

§. XXX.

- 13) Galactica. Lactis, post secretionem resorpti, & metastatice quaquaversum delati historias habent Puzos, Petit, aliique, & rheumatismum talem memorat quoque Vogel. **)

Potentissimis resolventibus & revellentibus in hac specie opus erit.

§. XXXI.

- 14) Phlegmatica. Stoll ***) ex febre pituitosa abortam vidit, cujus

*) Rat. Med. P. V. p. 415.

**) lc. p. 80.

***) Rat. Med. P. II. p. 163.

cujus natura ex metastasi, vel & universali humorum statu phlegmatico, cum scrophuloso analogo perspici potest.

Therapia ejus cum chronica facie §. XVIII. concordabit.

§. XXXII.

- 15) Catarrhifchetica. Et hujus mentionem facit Vogel. *) Si ve ex suppresso, vel aliter determinato catarrho oriatur, multum conveniet cum specie psytica §. 18.

Id tamen therapevtice notandum, quodsi habituales catarrhi nasales lotionibus capitis frigidis, vel per adstringentia suppressi forrent, hos per emolliionem narium ad locum, quem prius amabant, invitandos esse.

§. XXXIII.

- 16) Etiam gastrica mentio facienda: Hæc tam ex colluvie gastrica, jugiter ex hoc fonte humores inquinante, quam ex consensu, quem hæ partes cum reliquis alunt, interpretanda est. De ejus veritate non est, quod dubites, saltem therapia, tam eæ, quibus systema gastricum potenter quatiebatur, quam alia, ejus purgationem perficientes sæpe rheumatismos pertinacissimos sustulerunt **). Emetica quidem, ut pote

*) Ic. p. 80.

**) Cloßius in Carmine De Medico, ignorata morbi causa, male curante, hist. 3. Diel. in Balding. N. Magaz. VII. B. p. 407. Lentin memorab. p. 55. Rahn Briefwechsel I. B. p. 212. 227. Stoll. Rat. Med. P. II. p. 25. 32. 163. 363. III. p. 33.

~~1887~~
 pote quorum effectus in eo systemate minimè limitatur, movendo, irritando, sympathice agendo rheumatismos, origine-
 tenus nequaquam gastricos, tamen loco movere poterant; super-
 sunt vero multa tamen argumenta, ex ipsius citatorum au-
 ctorum observationibus depromenda, quæ pro gastrica hac
 specie militant.

Dantur hoc nomine biliosa, helminthica, acatharta, quamvis
 negare nolimus, allegari quandoque hoc titulo dolores alius ge-
 neris, præsertim spasticos, quorsum Sauvagesii Rheumatismus sal-
 tatorius & verminosus pertinere videntur.

Erutis diversis gastricis vitis, hæc prius tollemus, freti spe,
 dolores ipsos aut sponte cessaturos, aut leviori opera pellendos
 jam esse.

§. XXXIV.

17) Denique Toxicæ. Huc spectat Sauvagesii Rheumatismus
 metallicus, Neuroseos, & convulsivus. Saturnus quippe & Mer-
 curius, nec non alia heterogenea, toxica, similem hæctenus
 dictis effectum producere valent.

His balnea, præsertim sulphurea, electricitas, & emollientia
 cum anodynis opem ferent.

§. XXXV.

An datur & Zoica? Ortlorius *) Møellenbroccio hæc opinio-
 nem

C 2

*) Diff. cit. §. 12.

nem supponit. Reperio autem, hunc tantummodo simili à vermiculis usum esse, quod dolor horum instar depascat **) quin vermes in hoc affectu nullos subesse, expresse ait. ***) Hinc & nos hanc speciem non admittimus.

§. XXXVI.

Supervacaneum erit, monere, dari species mixtas, compositas, quæ majorem adhuc difficultatem tam in diagnosi, quam in Therapia pariunt.

**) lc. cap. 2. p. 8.

***) cap. 1. p. 3.



01 A 6631

ULB Halle 3
002 934 922



56







DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA
DE
MYOSITIDE ET NEVRITIDE,
PRÆSERTIM RHEVMATICA PER HISTORIAM
ÆGRÆ ILLUSTRATA. 25

QUAM
RECTORE UNIVERSITATIS MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO DUCE AC DOMINO
DOMINO
CAROLO
DUCE WIRTEMBERGIÆ ET TECCIÆ REGNANTE
REL. REL.

PRAESIDE
GUIL. GODOFREDO PLOUCQUET
PHILOS. ET MED. D. HUIUSQUE P. P. O.
PRO LICENTIA
PUBLICO ERUDITORUM EXAMINI SUBMITTET
DIE SEPT. MDCCXC.
CHRISTIANUS AMANDUS HENRICUS DOBEL
ROMMELSPACENSIS.
TUBINGÆ.
TYPIS REISSIANIS.